



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Imperatrices Occidentis, vitam monasticam professæ, & in Sanctarum Catalogum relatæ. cap. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38397**

Imperatrices Occidentis vitam monasticam professæ,  
& in Sanctarum catalogum relatæ. Cap. III.

*S. Richarda, Caroli Crassi Imperatoris, vxor.*

**R**ICHARDA, seu Richardis, Gregorii Regis  
Scotiæ filia, ac Caroli Crassi Imp. vxor. Adul-  
terii cum Luituardo Vercellensi Episcopo inco-  
gnita, aquino iudicio se ab omni uirorum com-  
mixture integram & uirginem comprobauit,  
quamuis iam xii. annis in coniugio Imp. appo-  
nuerit: moxque a Rege separata in Andelahaense cœnobium virgi-  
num in Alfaria se constructum anno 887. secessit, ibique factis  
sumpto uelamine Deo seruiens, ac uirgo permanens, ita se gessit ut  
in Abbatissam postmodum eligeret, & post mortem sanctarum alicubi  
catalogo meruerit, obiit 14. Cal. Octobris.

*Hermannus contractus in chr. ad annum 887. Fragmentum historiæ  
cum cronico Alberti Argentinenfis præfixum. 10. Tritemius de uiris ill.  
ord. S. Benedicti, lib. 3. c. 3 14. Carolus Sigonius de reg. Italia, lib. 5. in fine.  
Franciscus Irenicus germ. exeges, lib. 11. & alii.*

*S. Mathildis, Henrici Aucupis vxor.*

**S.** MATHILDIS Theodorici Saxoniarum Ducis filia, ac Henrici I. Ro-  
manorum Regis, vxor secunda, post cuius mortem monasterium  
Quindelingeborgense SS. Seruati, & Dionysii, quod ipsa propriis  
sumptibus pro filia sua S. Mathilde anno 822. ædificari fecerat, in-  
gressa, Sanctimonialisque habitu induta, supra modum humilitatis  
& misericordiarum operibus operam dedit, totamque Saxoniam stur-  
pem sua nobilitauit uirtute: in aduersis enim patientissima, & in  
orationibus ita peruigil fuit, ut totum psalterium ante matutinas  
exoluere solita fuerit. Tandem spiritu prophetico mortem pre-  
dicens, migravit ad Christum die 14. Martii, anno Domini 969. ut  
scriptum reliquit Abbas Urspergensis in chronico. *De eius monas-  
terio agunt tum eius uita, tum etiam Fasciculus temporum, & pictura  
illa, quæ anno superiori typis ensis Romæ incisa est, ubi Sanctimonialis  
habitu sceptrum dextra, psalterium uero sinistra tenentis, hancque de-  
scriptionem habentis, S. Mathildis Regina, conspicitur.*

*S. Adelheidis, Lotharij, & Ottonis I. Imp.*

**S.** ADELEIDIS, Rodulphi Italiæ Imp. ac Regis Burgundiæ filia, Lotha-  
rij Italiæ primū deinde Ottonis huius nominis I. Germaniarum, Imp.  
Vxor,

Vxor, post viri mortē longo tempore superstes de regali munificen-  
tia multa ecclesiis contulit, & ad ultimum super litus Rhēni flumi-  
nis nobile cœnobium, Sehl se uocatum, construxit, illudq; prædiis  
& aliis opibus ditauit, ubi & ipsa sanctē & religiosē viuens in pace  
quæuit, anno Domini 999. die 16. Decemb. *Fragmentum historicum*  
*M. Alberto Argentinensi præposito ad annum, 973. & alii.*

*S. Cunegundis, S. Henrici II. alijs I. Claudi, Imp.*

SANCTA Cunegundis virgo, Sigefridi Palatini comitis filia,  
ac Sancti Henrici huius nominis II. alijs I. cognomento Claudi, im-  
peratoris vxor, ipso, cum quo uirginitatem illibatam seruauit, ad  
celos translata, Bambergæ in monasterio Confingensi sub Tutta  
Abbatissa Fratris sui filia, anno Christi 1025. uitam cœnobialem  
impleta, conuersionis suæ cûrsum ita instituit, ut post mortem di-  
gna fuerit inter cœlicos ab Ecclesia computari: obiit die 3. Martii.  
*Notite de vir. ill. ord. S. Ben. lib. 3. c. 259. Vita eius apud Surium Tomo*  
*2. uento Martij, & alij.*

*S. Agnes, Henrici II. alijs III. Nigri Imp.*

SANCTA Agnes, Gulielmi Aquitanie Ducis, filia, & Henri-  
ci II. alijs III. vxor secunda, cum post eius mortem, Henrici filii  
pateri, ac regni simul tutelam sapienter ac strenuè administrasset,  
principum nonnullorum inuidia ab ea femota, anno 1069. in Ita-  
liam se contulit, ac primum Fructuariæ, monasterio in agro Tauri-  
natum, Imperiali ueste in monachalem commutata & sacro uela-  
mine circumdata, religiosam uitam aliquanto tempore duxit: dein-  
de Romam profecta, in ecclesia sanctæ Petronillæ, usque ad annum  
1077. quo mortua est, ac in eadem ecclesia sepulta, quietè & tran-  
quillè commorata, laboris sui præmium a Deo promeruit. *Alber-*  
*tus Cratzius metropolis, lib. 4. c. 35. Albertus Abb. Stadeni in chronico*  
*ad annum 1056. Carolus Sigonius de regno Italiae lib. 9. ab annos 1069.*  
*& 1077. & alij.*

*S. Praxedis, Henrici III. alijs IIII. Imp.*

SPRA XEDIS (quam malè Adeleidem Sigonius appellat) Ia-  
rislari Regis Ruthenorum vel Russorum filia, & Ottonis marchio-  
nis Stadeni & Brandeburgi vxor prima, deinde Henrici III. alijs  
IIII. Imperatoris uxor secunda, cum omni contumeliarum genere  
ab ipso affecta esset, ac quasi ludibrio habita, in Italiam se recipiens  
ab Urbano II. consolata, ac ut monasterium ingrederetur hortata  
Russiam repetiit, ac ibidem seruitio Dei se mancipans, anno Domi-  
ni 1093. in monasterio Bergen, uel Campen dicto, tandem obiit  
meri-

meritum, in Abbatissam eligi promeruit, atque post mortem sanctorum agminibus coniungi. *Albertus abb. Stadenfis in chronico ad annum 1093. Ioannes Tritt. Abbas in chronico Hirsauzicæ, Carolus Signius de regno Italia lib. 9. ad annum 1093. & alii.*

*Imperatrices Occidentis Sanctimonialiales factæ, sed non Sanctæ. Cap. I III.*

*Juditha, Ludouici Pij Imp. vxor.*



**I**UDITHA, Vuolfonis Comitis Altoftenfis filia, & Ludouici Pij Imperatoris uxor tertia, ab eo ob consanguinitatis affinitatem iussu Gregorii Pape III. separata, Ambianis primum, deinde Laudani in monasterio s. Mariæ, tertio in s. Cruce, monasterio s. Radegundis Pictauis, uitam cœnobialem professâ anno Domini 830. sed inde semper a uiro extracta: ad extremum Tortonæ in Italia, eam, quam iam tertio professâ fuerat uitam subire coacta anno 834. ibidem tranquille postea uitam finiit, anno 847. suæ conuersionis terdecimo. *Ioan. Tretemius Abbas in chron. Hirs. Vignierius in chron. Burgundicæ ad annos 830. & 833. Crantzius Saxonie, lib. 2. c. 25. Belforestius annal. Franc. lib. 2. c. 34. & alii permulti.*

*Angelpirga, S. Lotharii I. Imp.*

**A**NGELPIRGA, sive, ut Nicolaus Clemens habet, Edilla, uel Egidda, Etheluuolphi Angliæ Regis filia, & S. Lotharii I. Imperatoris, vxor prima, cum nescio quam ob causam ab ipso repudium passa fuisset, ad monasterium S. Iuliæ Brixicæ se transtulit anno Domini circiter 820. ibidemque Sanctimonialis habitu induta, non longe post ad Dominum migravit. *Tabula monasterii S. Iuliæ, a Brixia ad me transmissa.*

*Hermingarda, S. Lotharii I. Imp.*

**H**ERMINGARDA, Hugonis Saxonie Comitis filia, atque eiusdem S. Lotharii I. Imperatoris vxor secunda, uiri sui, qui monachi decreuerat propositum imitata, in eodem s. Iuliæ cœnobio amplexata est Christam, anno Domini circiter 848. uel 850. continentia uelum habitumque suscipiens, in quo ita conuersationem suam instituit, ut digna fuerit ab Amalperga, Abbatissa quarta Sanctæ Iuliæ, in coadiutricem assumi. *Tabula monasterii S. Iuliæ, Vaille,*